

EXCERPTA EX COLLECTANEIS POETI-
CIS THEODERICI BLOCK BRUNSVIGO-HILDESE-
MENSIS MEDICI CIRCA FINEM SECVLI XV.
FLORENTIS,

*Utilia ad Historiam literariam illius temporis, in his praesertim
regionibus nostris noscendam. ex MSto,*

Henrici Bogheri Huxariensis, Theologiae Doctoris, Carmen in *Organon pneumaticum* urbis
Brunsvicensis.

Post terquingentos, sed ternos deme bis, annos
Tempore donifluinos redimentis heri;
Condidit *Arnoldus Salminmaker* ecce peritus
Organa, dulciloquum dantia rite Sonum.
Quem toga Francisci decorans & casula Christi
Verè fructiferam monstrat adire viam.
Gloria debetur Domino, dehinc gratia detur
Nobis, laudifonus provenit unde status.

In Restaurationem *Hospitalis S. Spiritus* in Lüneborch ad priorem ejus *Johannem Baechhole*
Carmen ita incipit.

Terquingentenos post (terseptem minus) annos
A natu Domini, pro nobis post Crucifixi. &c.

Henricus Bogher *Vocabulario* à se collecto hos versus praefixit:

Henricus Bogher, est cui lar patrius Hoxer
Pro male nummatis, mediocriter atque probatis
Papias nostrum, *Brito*, dat *Ugucio* librum.
Absit livor edax; majoris sit, volo, mordax.

Henrici Bogheri dictamen (a) metricum, *Henrico Vischer* (b) Baccalario missum.

Quem sub finitimis scit degere partibus, istam
Ire salutatum te jubet ille tuus.
Dictu non facile est, quam dulcis Epistola, per te
Missa mihi, fuerit; hanc ego saepe legam.
Absque meis meritis devincis te mihi totum;
Quid tibi praeter me dem, scio, care, nihil.
Cui nunc invigilem studio, vis certior esse
Nuncia pro lingua chartula scripta datur.
Gymnas recturo mihi Brunsvick hospita fiet,
Archiregens quorum vir *Tilemannus* (c) erit.

Habetur in eadem collectione carmen Magistri *Henrici Piscatoris* de Northeim alias *Aqui-*
polensis poetae Laureati, ad *Theodericum Block* de Brunsvic, (d) artium & Philosophiae magistrum

Henrici, Theoderice, tui, percare, salutem
Sume; caballino lætior amne bibes.
Urbs ut *Lunaris* me linquet, *Misna* fovebit
Hospita, cui viridi palmite terra viget.
Crede, studebit, eris (nisi tunc fallamur) eidem
Successor. Quæ mens sit, replicato, Vale.

Idem volens explicare *Galfridi poetriam novam*, valuis Collegii majoris Erfordiae hanc affi-
dit schedulam.

Q q q 2

Scri-

(a) *Dictare* illis temporibus significabat *Epistolam scribere*. (b) is est, qui se *Henricum Aquilopolensem*
vocavit, quia ex urbe Northeim oriundus erat, cujus carmen de Lubeca edidit *Meibomius*. (c)
Suspicio hunc esse, qui sub *Telamonii Ornatomontani* nomine bellum Brunsvicense descripsit,
huc collectioni insertum. Videtur *Tilemannus* rector fuisse, Bogherus Conrector scholæ Brunsvi-
censis, (d) *Hildefæ* natus fuit, sed ut apparet, ex Parentibus Brunsvicensibus.

Scribendi comtam mira dulcedinis arte,
Pontificis summi teneras quæ mulserat aures
Anglicus, & regem fecit post fata reverti
Ad veniæ portus celebri sermone *Richardum*,
Facundis opibus insignem; Principiabo,
Quando septenam sol vespere verget ad horam.

Henrici Bogheri Theologi in erectionem Collegii Rostoccensis carmen, cujus initium
& finem damus:

Ut *Roslockinum* comitentur sacra facellum
Te media, præcellsa domus Magnopolitana,
Heroo calamo canit Erfurtenfis alumnus.

finis:

Sole quaterdecies centum gyris revoluto
Et nonaginta te post; hæc, Christe, patescunt
Henrici cantata stylo *Flexoris* agresti.

Cum inter *Bartholdum* Episcopum Hildesemensem & urbem, bellum A. D. 1484. ortum
esset; & Episcopo *Henricus* Dux Brunsvicensis auxilio fuisset; urbi autem comes *Johannes de Re-*
berg aliique opem tulissent, qui prælio commisso captus fuit: tandem, damnis datis acceptisque
pax facta scribitur A. D. 1486. in cladem *Retbergii* carmen fecit *Bogherus*, quod ita incipit:

Ecce Petri Paulique die, gens bellica strata est.

Diciturque prælium Anno Domini 1487. commissum, sed putem legendum 86. Pacifa-
cta, idem ad *Bartholdum* Episcopum tale carmen misit:

Sanguine præfulgens, animo celer, indole clare,
Primatu celeber, religione sacer,
Perreverende statu, cura vigil, inclyte vita,
Verbo flexanimis, conditione gravis,
Nominè præcellens, re prædite, viribus apte,
Doctrina princeps, moribus usque prior.
Aspirante Deo, socio Merito, duce Sorte,
Antistes binæ (e) qui præes Ecclesiæ.
Non dedigneris hederam conjungere mitræ
Pieriam: Divæ seria pinge jocis.
Religio, humanis pulcre comitata Camœnis,
Arridet populo dulcius alma tuo.

In monstrum biceps.

Tercentum Christi lustris uno minus, actis
Septembri decimum nuper agente diem
Monstrosus gemini puer est ad litora Rheni
Natus, qui geminum fertur habere caput
Frontibus ad versis oculis oculosque refigens,
Ipsa sed adversos pars habet ima pedes.

In obitum *Alberti* (vulgo *Animosi*) ducis Saxonie, qui contigerat *Emda* Non. Se-
ptemb. 1500.

Albertus dux Saxonie, qui Cæsaris olim
Fridrici quarti tiro (a) neposque fuit.
Egregium nomen, quod nulla obliteret ætas,
Misenis linquet, factaque digna viro,
Progeniemque piam; dux unde *Georgius* unus,
Alter & *Henricus*, regna paterna tenent.
Magnus Teutonici quin ordinis ille Magister
Filius *Alberto* Dux *Fridericus* adest.
Atque *Athelis* quondam *Catharina* (c) Ducissa sub Austris,
Nunc duce *Brunsvico* prole pudica micat.

(a) Hildesemensi & Verdensi præfuit *Bartholdus*, ob eloquentiam aliasque dotes laudatus. (b) Tiro, id est, ephebus
page, nepos ex *Margareta* Austriaca Imperatoris sorore, quæ Electori Saxonie *Friderico placido* nupsit. (c)
Nupta primum *Sigismundo* Austriaco, mox *Erico* Brunsvicensi

In cruce sanguineas visas 1501.

Tercentum Christi lustris, annoque fluente,
 Quarto idus Majas; quæ stant in fronte libelli
 Signa crucis, peplo timidæ cecidere puellæ
 Ruris Aquisgrano vicini. Postea lapsa
 Protinus occiduo, peplumque puellaque rursus
 Sanguineis crucibus ritu maculantur eodem
 Vera loquor sed mira: Deus precor auferat iram.

Ad Illustrissimum Principem & Dominum Dn. Maximilianum Regem Romanorum Henrici Bogerii panegyris, [cum præceptor juvenis principis Magapolitani, cum Dominis Cæsarem adisset.]

Balthica me tellus Te visere misit ad Istrum,
 Nec secus in divis quam memorare Jovem.
 Quem fortuna dedit spectare, hunc auribus hausi:
 Plaudo, salutatam me tetigisse manum.
 Ut quondam Octavi Mæcenas fulserat ori,
 Nunc stat in obtuto Magnopolita tuo.
 Illius merito spero, vestigia posse
 Lenta mihi fieri, Maxmiliane, tua.
 Dum clarum in fratrem pedagogi munia gesto,
 Faustum, di faxint, progrediamur iter.
 Henrico Ericus dignus, ceu Castore pollux,
 Magnopolim exornat, castra sequendo tua.
 Italiamque peret, visurus Apollinis ædes,
 Incumbet studiis te duce conspicuis.

Georgius Tyfernus hymnum fecerat in B. Virginem, qui incipit: Virgo decus cæli, virgo sanctissima, virgo quæ super Angelicos es veneranda choros. Hunc sibi tanquam autori per plagium ascripisse accusatus est Conradus Celtæ. Jacobi Qvestenbergii de Wernigherode in Conradum Zeltis, poetam arrogantem & Fidentinum, Hymnum, virgo decus cæli, sibi ascribentem, invectiva ita incipit:

Qvis ferat indocti temeraria facta Pœtæ,
 Dum putat argutum furtivo carmine vulgus
 Fallere, & externo vitium prætexere fūco. &c.

Johannis de Werden, artium & Philosophiæ Magistri in studio Lipsiensi versus.

Qvis rationi docens? Qvoad docet, illud agens.
 Qvis vere locuples? Cui famulantur opes.
 Qvis nullius egens? Cui satis est, quod habet.
 Quæ plus possedit? Qvi minimum voluit
 Quæ res maxima? Mens, maxima despiciens.

In Comitibus Wormatiensibus Kalendis sextilibus 1495.
 Pan precor, & si quis virides, pro tempore, sylvas
 Faune colis tutum reddite vatis iter.

Aulica Cæsareæ fugiens nam monstra cohortis
 In nemus hoc celerem confero sæpe pedem.

Non mihi vana placent stultæ commercia gentis,
 Et mores vito barbara turba tuos

Qvis ferat intortos ovo redolente capillos
 Consulis, & longa corpora recta toga?

Nullus honor sphiæ, nulla est hic gloria sacris
 Artibus, & doctos Curia nostra fugit.

Rideret Latæ si quis sibi dogmata linguæ
 Comparat, & verpo est vilior ille viro.

Barbaries cui major adest, hic major habetur;
 Qvique furit, nomen Socratis ille tenet.

Affidet en Latio Germania tota Tyranno,
 Et celebrant dictam Rexque ducesque diem.

Consultitur totas hyemes, totosque per æstus;
 Nocte labor, non est sole manente quies

Nec tamen ulla manent firmæ vestigia legis,
 Conventus plures sic parit una dies.

Nonne igitur melius sylvas interque ferasque
 Degere, tam vanis & procul esse viris.

Q q q q

In ali-

THEODORICI BLOCK

In aliquot Papas versus

In Luciem III.

Luca dedit, *Luci*, tibi lucem, pontificatum
 Ostia, Papatum Roma, Verona mori.
 Immo Verona dedit verum tibi vivere, Roma
 Exilium, curas Ostia, Luca mori.

In Nicolaum V.

Hic sita sunt quinti *Nicolai* Antistitis ossa,
 Aurea qui dederat secula Roma tibi.
 Consilio illustris, virtute illustrior omni,
 Excoluit doctos doctior ipse viros
 Abstulit errorem, quo schisma infecerat orbem,
 Restituitque urbi mœnia templa, Deos.
 Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,
 Sancta jubilæi tempora dum celebrat.
 Cinxit honore caput *Friderici* & conjugis aureo,
 Res Italas ic̄to fœdere composuit.
 Attica Romanæ complura volumina linguæ
 Prodidit: ad tumulum vos date thura sacrum.

In Andreolam, genitricem ejusdem Nicolai.

Vos quibus est humilem concessum degere vitam,
 Et fragiles inter consenuisse casas,
 Discite naturam non incusare potentem,
 Cum vobis vitæ debita finis adest.
 Respicit ad nullos Lachesis communis honores,
 Nec curam ullius nobilitatis habet.
 Parcere nec senibus, nec parcere novit ephebis,
 Non à formoso continet ore manus,
 Nulla fugit virtus haud evitabile lethum,
 Nec coacervatas mors reveretur opes.
 Pespicite *Andreolam*, parvo quæ clausa sepulcro,
 Æquales Parcas omnibus esse docet.

In Sixtum IV.

Non potuit sævum vis ulla extinguere Sixtum;
 Audito tantum nomine pacis, obit.

In Julii II. nativitatem.

Gemua tibi patrem, genitricem Græcia, partum
 Puppis & unda dedit: num potes esse bonus?
 Fallaces Ligures, mendax est Græcia, ponto
 Nulla fides: hæc tu singula solus habes.

In Vanionium poëtam dementem Bononiæ.

Ille ego *Vanjonius*, tumulo qui claudor in isto,
 Censebar Latii fama suprema soli
 Extulit ipsa quidem mea Dia poemata fama,
 Et me cœlitibus miscuit alta choris.
 At me dementem noti dixere poëtam;
 Linquebam auratam nam vagus ipse domum.
 Linquebam gazas patris, turpemque seqvebar
 Pauperiem, atque errans plurimâ damna tuli,
 Sæpe mihi pueri lapides jecere petulci,
 Illudens capiti turba maligna meo.
 Ille meas vestes non munda tinxerat unda,
 Ille mihi dixit turpia verba palam
 Ridebam vates inter tot damna superbus,
 Et mihi pro cunctis unica Musa fuit.
 Discite ab exemplo Vanioni, discite patres,
 Ut teneant studii pignora vestra modum.

Bartholomæi Colonienfis carmen in *Eforbum*, magnum potatorem & impium, sed pu-
 nitum.

Eforbus

Eforbus quoties in templo parvula vasa
 Aspicit, antistes quæ sua sacra facit;
 Irarum toties ingenti fluctuat æstu,
 Talibus & verbis voce boante furit:
 Dicite vos miseri, vasis quæ fronte minutis
 Audetis magno sacrificare Deo?
 Idem populeis, vel quernis atque salignis
 Frondibus ara Dei cum decorata videt;
 Tunc tonat indomitus, tunc rauco guttore clamat,
 Ædituum dignum morte perire gravi.
 Sed si pampineis altaria cincta coronis
 Viderit, aut Veneris flore revincta rubro;
 Tunc subitò ridet, tum pectore gaudet in imo,
 Jamque suo Baccho carmina læta canit,
 Idem etiam quoties maturæ umbracula vitis
 Botris purpureis esse onerata videt;
 Tum caput incanum circumpendentibus uvis
 Obruit, & viridi tempora fronde tegit.
 Inde racemiferis incingit colla coronis,
 Et sua pampineo guttura torqueligat.
 Hinc hæc teretis circumdat spicula Bacchi
 Dotibus eximiis, palmitibusque Sacris,
 Quam geminis manibus gestans per compita cuncta,
 Clamitat, ô cives, nuntia læta fero.
 Quin etiam, quoties cauponam præterit, in qua
 Nectareus modico venditur ære liquor;
 Tunc caput inclinat supplex, tunc verba salutis
 Concipit, & palmas complicat ille suas:
 Salve sancta domus, tota venerabilis Urbe,
 Multa ubi gens Baccho dedita, rite litat;
 Unde graves curas ultra Garamantas & Indos
 Effugat, & quicquid pectora nostra premit.
 Impius hæc jactat nebulo, quem reprimat hydrops,
 Quasque bibit nullas invenit intus aquas.

In Regem Gallorum

De raptu secundæ Helenæ [*Carolus VIII. Annam Britannam Maximiliano I. desponsatam*
aperat, & Imperatori filiam Margaritam sibi pactam remisit.]

Esse nefas Sponsam alterius violare mariti,
 Antiquis cautum est legibus, atque novis.
 Esse nefas, semel uxorem dimittere ductam,
 Ipse sacrosancto protulit ore Deus.
 Sed quod jura vetant, quod Christi edicitur ore,
 Gallorum minimi non facit assis herus.
 Uxorem ducit, ductam dimittit; & inde
 Alterius violat commaculatque thorum.
 Quoque magis mirere scelus, sibi nubere cogit
 Illam, quæ socero nupsit ante suo.
 Hoc generum socero fecisse, haud altera credent
 Secula: vix præstant tempora nostra fidem.

In eundem carmen Sapphicum, ex Spira per *Jacobum Wimpelingum Sletstadensem*, orato-
 rem Regis Romanorum (qui & præcedentis Elegiaci autor videtur) ad *Robertum Gaguinum*, Gal-
 lorum Regis Oratorem.

Regis ex raptu tetrico procacis,
 Qui dolo fœdat thalamos pudicos;
 Quæ prius gratos dederant odores,
 Lilia marcent.

Carmen Doctoris *Wintzperger* Medici, loquentis sub persona Regis Romanorum Maxim-
 iani I.

Principio felix, vario post vita tumultu
 Vertitur: ah nostris quoties fortuna triumphis
 Invidit, voluitque meas pervertere sedes!
 Seditone petor, mox stricto concitor ense

Diversas

Diverfas errare vias, ac cominus hostem
Cernere, & Ungaricis perjuriam pellere tectis.
Sic mea jam tristi discrimine tempora versat,
Et mox dimisso ridet fors læta furore.
Ast hominū jucunda satis venit hora vigetque,
Non rudis ingenti quæ gloria parta periclo est.

Richardi Sbrulii Forojulienſis carmen ad Magnificum virum, artium ac Medicinæ Doctorem, *Theodericum Blochium*, Scholaſticam præfectum in Witebergensi Gymnaſio inuentum (id eſt Rectorem factum novæ univerſitatis) Anno à reconciliata Divinitate MDVIII. Lunæ 2. Martii.

Hildeshemenſis agri Stirps *Blochia* clara refulget;
Sed *Theodoricus* clarior ipſe nitet.
Nec ſtupeat quisquam, cum ſic *Erfordia* dicat,
Unde domum *Sophiæ* ſigna decora tulit.
Id quoque teſtaris Latium, tuque inclyta Roma,
Mirata ingenium Mercuriale viri.
Et tu Pieridura vocitata *Bononia* mater,
Palladios cenſes hunc redolere fatus.
Quare Doctoris gaudes huic ſigna dediffe,
Et plaudis tantum detinuiſſe virum.
Quæ verò tellus jam Teutona neſcit alumnum,
Quis neſcit *Blochii* nomina magna mei?
Tunc meum ignoras *Blochium* *Rofſochia* tellus?
Imò tuum: Doctor nam tibi carus erat.
Nonne doles, tantum tres hunc tenuiſſe per annos?
Nonne doles, hunc te deſeruiſſe cito.
Pulcra manes, pulcrum te tollit ad æthera nomen,
In primis que tui, ſidera clara, duces,
Attamen orba tuo demittis Apolline vultum,
Et minus apparet candidus ille color.
Magnopolitani Doctores, *Balthaſar* atque
Magnus, in hunc gaudent multa tuliſſe virum.
Sed magis hinc mœrent, quod eos revocatus adire
Abnuerit, motus commoditate ſua.
Quod facit ut magno *Friderico* ſerviat, utque
Gymnaſium medica demereatur ope.

In hoc carmen aliud *Ottonis Beckmanni* Wartenbergii.

Nos te felicem, Rector Generoſe, vocamus,
Quod tua *Julæus* (a) nomina cantat olor.
Naſo clægis, Flaccusque lyra, Sophocleſque cothurno,
Tullius eloquio, Virgiliusque tuba.

Cum *Blockius* diebus Paſchalibus Anni 1515. Brunſvigæ apud Sororium ageret, *Ludolfus Witte* Brunopolitanus æger hoſ verſus miſit, & mox, medicina data, recreatus eſt:

Salve Brunoniæ laus inſigniffima terræ,
Qui noſti, quicquid flavus Apollo tenet,
Ægra Machaonio qui ſervas corpora ſucco,
Quique facis Coa pharmaca miſta manu,
Cui doctus Medicis cedat Podalirius herbis,
Et tu Pergameum culte Galene decus.
Cerne valetudo quæ ſit precor ægra Poëtæ,
Et mihi Phœbeam, ſi potes, affer opem.
Namque ſolet caſus lugere pœta pœtæ,
Sæpe ſolet vares vatis & eſſe memor.
Novimus, Aonios & te libaſſe liquores,
Et te Caſtalidum ſcimus adiffe domos.
Vive, vale, & relegas langventis ſcripta Camœnæ,
O mihi tam rudibus non adeunde modis.

(a) *Sbrulius ex Foro Julii.*

Ipsè Blockius sibi hoc *Epitaphium* condidit :

Martia quem genuit tellus , urbs Hildesemensis ;
 Nomen Brunopolis cuique superba facit.
 Cui septena cohors , post Hippocratesque , coronam
 Illa magisterii , Physicam & iste dedit ;
Rostochium Medico titulum quoque Canonicalem,
 Et cathedram , ob Medicos *Albiorena* , (a) suos :
 Conditur exiguo doctor quondam iste sepulcro.
 Cum superis , Blochi , dic , Theodrice , vale.

Inscriptio dedicationis Ecclesiæ Halberstadenfis :

Ernestus Magdeburgensis atque Alberstadenfis Pontifex , inter Germaniæ Pontifices primas , *D. Ernesti* Saxonie Ducis Romaniqve Imperii Ensisferi filius , ædem Alberstadensem , quæ precantium vota rite susciperentur , Divo Stephano protomartyri , Divo Laurentio Martyri, Sixto Papæ , Divæ Magdalene pœnitenti , suis sacratis manibus dedicavit.

Epitaphium Johannis Teutonici

[alias Semecæ.]

Johanni Teutonico , præposito Ecclesiæ Alberstadiensis , Viro in omni literarum genere eruditissimo , qui decretum , quod appellat Pontificias leges , acutissimis glossæmatis interpretatus est ; urbem etiam Alberstadensem muro cinxit , & eidem contra vetustatem ruinasque tutando binas quadrigas , ad materiam ædificiis sufficiendam , in perpetuum ordinavit : *Ernestus* , Magdeburgensis atque Alberstadiensis Ecclesiæ pontifex , Germanorum Pontificum primas , *Divi Ernesti* , Saxonie Ducis atque Romani Imperii Ensisferi filius , hoc monumentum dejecto vetustiori , pro tanta viri dignitate nimis humili , gratulante univërso Clero Alberstadenfi , post CCXLVI. annos à novo instauravit.

Vetus in eundem Epitaphium.

Est , erit , atque fuit , qui desiit esse Johannes,
 Dogma viget , viguit , florebit & omnibus annis,
 Lux Decretorum , Dux Doctorum , via morum,
 Hic jacet , & placet , ut vacet à pœnis miserorum.

Aliud

Hospes , Teutonici sunt hæc monumenta Johannis
 Parva , sed æterno non reticenda die.
 Is vir qui fuerit , populi testantur , & ingens
 Imperium , & dictis Itala terra suis
 Nam ne sacra patrum tenebris Decreta jacerent,
 In lucem glossis exitit ille suis,

Aliud

Divos Teutonici cineres , molemqve Johannis
 Sarcophagus clausam , care viator , habet.
 Ingenium cujus clarum , doctamque Minervam
 Miratur Latii callida terra soli.
 Nunquam Doctorum volitare per ora virorum
 Desinet : hoc natis dicite porro patres.

Obiit A. D 1245.

R r r r

XXXI, CHRO-

(a) Albiorena , Witeberga.